CONCIO HABITA AD CLERVM OXONIENSEM de Ecclesia.

AVTHORE RICHARDO IAMESIO Vectensi, Baccalaureo Sacræ Th. Socio CCC.

Vlricus Huttenus.

Nescio quò captiva ratis Ecclesia quò se
Proripuit, Romæ est tale videre nihil.

OXONIÆ,
Excudebat IOHANNES LICHFIELD Academiæ Typographus, & veneunt apud *Thomam Huggins*.
Anno D. 1633.

CONCIO

HABITA AD

CLERUM

OXONIENSEM

de Eccles.

AVTORE RICHARDO

Baccalaureo

Soc. ECC.

BRITISH MUSEUM

Vitius Hucusque.

OXONIÆ

Excudebat IOANNES LICHFIELD

Academiæ Typographus, & veneunt

apud Thomam Huggins.

Anno D. 1653.

VIRO CLARISSIMO *KENELMO DIGBY*

Larißime vir, Quod per omne mare mediterraneum, Anglorum *ſigna tuo Marte circumgeſtata fuerint invicta, Quod ſortiter animum appuliſti ad patriæ noſtræ vtiliſſimam in re nautica ſcientiam, cujus in victoriali* Belgarum *numiſmate elogium,* Imperator maris terræ Dominus, *Quòd totum orbem doctrinæ linguarumq; diſertarum amplectens, nec contentus more*

BRITISH MUSEUM

VIRO CLARISSIMO *KENELMO DIGBY*

Clarissime vir, Quod per omne mare mediterraneum, Anglorum *signa tuo Marte circumgestata fuerint invicta, Quod fortiter animum appulisti ad patriæ nostræ vtilissimam in re nautica scientiam, cujus in victoriali* Belgarum *numismate elogium,* Imperator maris terræ Dominus, *Quòd totum orbem doctrinæ linguarumq; disertarum amplectens, nec contentus more*

Neoptolemi *paucis philosophari, cum recondita veterum sapientia non minus celebrem* Bacono *nostro antiquo novam* Arabicorum *Principum empiricen feliciter conjunxeris, Quòd vim animi corporisq; Heroicam Deus tibi in melius temperando promoverit, Quòd in te virtutes dotesq; plurimæ fiant conspectiores singulari humanitate, unde mihi alijsq; quà licet ingenia excolentibus, decus & præsidium. Propterea gestit meus hic libellus tibi in obsequium prodire, forti, egregio, optimo* Mecœnati. *Deus te servet & me*

Favoris tui clientem.

RICHARDVM IAMESIVM.

MATH. 16. VER. 18.

Sed & ego tibi dico, Tu es Petrus *& ſuper hanc* Petram *ædificabo meam eccleſiam: & portæ inferorum non ſuperabunt eam.*

AVETE auribus atq; animis, dicturus ſum de *Petro*, de *Petra*, de *eccleſia Chriſti*, lucido ordine & qua valeam nata ex ipſis rebus facundia. Sum propterea oſtenſurus eccleſiam hanc Chriſti adverſus quam portæ inferorum non prævalebunt, non eſſe *Romanam*, eſſe *Catholicam*, eſſe *Chriſtianam*. Eccleſia ergo *Romana* hæc Chriſti eccleſia non eſt, tribus de cauſis. Primò, cum ipſi glorientur Apoſtoli in Evangelica libertate, cùm ſic ex matura & profunda rerum conſideratione Beatus *Auguſtinus* in epiſtola ad *Ianuarium*, leni nos jugo ſubdidit Chriſtus, vnde ſacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione

ficatione præstantissimis societatem noui populi colligauit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis Christi, & si quid aliud in scripturis Canonicis commendatur, Ecclesia *Romana* tot ceremonijs tot superstitionibus oneraverit Christianam societatem, vt facilior fuerit *Gentilium* & *Iudæorum* etiam *Ægyptiorum* eâ ratione conditio parentum nostrorum memoria quàm nostra. Vnde *Bucerus* in libro de ordinatione ministerij Ecclesiastici hîc in *Anglia*, pars inquit visitatorum rituum abolita est, propterea quòd in multiplicandis illis neq; modus neq; finis fuit, de qua re questus est Beatus *Augustinus* dicens, Graviorem factam esse ex multitudine ceremoniarum conditionem Christianorum quàm fuerit olim *Iudæorum* sub ceremonijs *Mosaicis*, Idem consulit vt hoc jugum quantum fieri potest cum tempore & quiete Ecclesiæ aboleatur. Questi sunt etiam post illum *Iohannes Gerson*, *Thomas*, & alij. Quid inquiunt sancte pater *Augustine* diceres si nunc viveres, cùm paucæ fuerint ceremoniæ tuo tempore in ecclesia, si cum hijs quæ postea accesserunt conferantur. Sic ille vir prudens, disertus, & pius, ab Ecclesia nostrâ meritus summè vt aheneus staret atq; marmoreus. Temporibus equidem *Augustini* onus ceremoniarum res erat deflenda & toleranda æquanimiter donec cum pace ecclesiæ potuerant aboleri, quia cùm à ceremonijs *Iudæorum* & multiplici *Gentilium* superstitione ad Christi fidem gentes fuerint conversæ, duris mentibus vt apud *Bedam* ait *Augustino* nostro magnus *Gregorius* simul omnia abscindere impossibile erat. Quæ autem de-

mentia

mentia quæ audacia *Romanæ* Eccleſiæ, gravioribus Chriſti præceptis non tantum longa ſed & livida oblivione deletis contritiſq;, ſuper hijs *Gentilium* & *Iudæorum* fundamentis in tam aeream *Babylonicam* altitudinem, molem ejuſdem materiæ ſuperſtruere? Adeo vt quidam ipſorum dicere non erubuerit adverſus *Platonem*, nullam humanam operam meliorem ad cultum divinum quàm ſuperſtitionem. Huic ego viro primùm cum *Platone* vndiq; in dialogis *Ciceronem* oppono libro ſecundo de natura deorum, vbi ſuperſtitioſus & religioſus alterum vitij nomen alterum laudis, vbi, cultus inquit deorum eſt optimus idemq; caſtiſſimus atq; ſanctiſſimus pleniſſimuſq; pietatis, vt eos ſemper purâ integrâ incorruptâ mente & voce veneremur. Non enim philoſophi ſolùm, verumetiã majores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparaverunt, neq; totos dies precabantur & immolabant, vt ſui liberi ſibi eſſent ſuperſtites. Et denuo in lib. 2. de divinatione, Nam vt verè loquamur, ſuperſtitio fuſa per gentes oppreſſit omnium ferè animos atq; hominum imbecillitatem occupavit, quod & in ijs libris dictum eſt qui ſunt de natura Deorum, & hâc diſputatione id maximè egimus, multum enim & nobilitet ipſis & noſtris profuturi videbamur ſi eam funditùs ſuſtuliſſemus. Nec verò, id enim diligenter intelligi volo ſuperſtitione tollenda religio tollitur, nàm & Majorum inſtituta tueri ſacris cæremonijſq; retinendis ſapientis eſt, & eſſe præſtantem aliquam æternamq; naturam, & eam ſuſpiciendam admirandamq; hominum generi, pulchritudo mundi ordoq; rerum cœleſtium cogit confiteri. Quamobrem vt religio propaganda etiam

eſt

est quæ est juncta cum cognitione naturæ, sic superstitionis stirpes omnes eijciendæ sunt; instat enim & vrget, & quocunq; te verteris persequitur, ——— vt nunquam liceat quieta mente consistere. Adijcite hijs vere aureum libellum *Plutarchi* de superstitione, viri supra omnes vmbraticorum scholasticorum redargutiones sublimis, quin & consuetudinem clarissimæ *Massilientium* reipublicæ apud *Valerium Maximum*, quâ submoventes mendacem & fucosam superstitionem, omnibus qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærerent portas vrbis clausas esse voluerunt. Hijs tamen aut non perspectis aut contemptis præ amore suæ poetices, multum sibi metuit *Iulius Cæsar Scaliger* in sua quâdam epistola, ne nuda & simplex religio leviſſimo attritu gracilescat in atheismum. Ex hijs inquit numerum novimus nos propemodum infinitum. Vbi hæc commercia & proventus impiorum in simplici religione viderit ipse *Scaliger*. Verùm in superstitiosa in ceremoniosa supra modum *Italia*, si religio vera, si pietas, si morum innocentia, si omniâ deniq; apud plerosq; non exulent quæ homines testarentur Dei metuentes, interrogate si placet per tot centenos annorum omnigenas scriptores. Revocate animis quid illi, quid *Antonius* de *Gueuara* senserit de *Roma* & *Italia* in prima parte familiarium ad *Hieronymum Viquium* redeuntem ad *Hiſpaniam* de *Romana* legatione. Vtinam inquit ab *Italia* tàm sanus corpore tàm animi integer redieris quàm excesseris. Vt verè & liberè dicam, paucos ab *Italia* cognovi redevntes qui non veniant absoluti & dissoluti, ad campanarum enim instar se habẽt mores *Italia*, ad missam

cum

cum omnes vocent, ipsi nunquam intrantes, glorioſa quidem templa habet illa regio, ſed populum abſq; omni devotione. Non jam eadem eſt *Roma* ſub Chriſtianis qualis erat ſub *Gentilium* imperio. Fœcundam illis temporibus matrem omnium virtutum nos in vitiorum omnium gymnaſium convertimus. Hæc ille, & hi perpetui mores rituſq; ſuperſtitionis. Quare non eſt dubium ait *Lactantius* quin religio nulla ſit vbicunq; ſimulachrum eſt. Quid ille diceret ſi nunc *Romam* & *Italiam* cerneret, vbi ſimulachra & ſimulata omnia, vbi facilius eſt Deos fictos invenire quàm homines non fictitios, vbi non res, ſed ſacramentorum vmbræ omnia, vbi omnia vt apud *Chaldæos* & *Ægyptios* plena fallacium myſteriorum, vbi, vt adverſum 5. cap. 17. *Revelationis* clara fieret de meretrice fœmina interpretatio, vocem myſterij aureis literis inſcriptam, vt notauit *Ioſephus Scaliger* geſtauit aliquando tyara Pontificum *Romanorum*. Superſtitio ergo error inſanus eſt, vt ait *Seneca*, amandos timet, quos colit violat. Quid enim intereſt vtrum Deos neges an infames. Et infamantibus ergo & negantibus *Italis* Deum & Chriſtum triſti ſuperſtitione, quomodo quiſpiam verè religioſus metuat affirmare eorum Eccleſiam ex dolis & Tyrannica ſuperſtitione conſarcinatam, potius ſuper arena quam ſuper Petra eſſe fundatam; & quæ forſan tibicinibus quibus jam diu fulta ſtetit ſublatis per Divinitùs concitam Regis *Suecorum* militiam ita noſtris temporibus corruet, vt non amplius inveniatur. Quòd ſi adhuc *Babylonicæ* hujus Eccleſiæ hora fatalis non venerit; contra omnem ejus immodicum ceremoniarum abuſum & cauponantem ſuperſtitionem

stitionem antidoti nobis vice esse poterint quæ benè monuerunt *Lactantius* authorq; commentarij in *Matheum* sub nomine *Chrysostomi* his verbis. Tunc qui in *Iudæa* sunt fugiant ad montes. Montes autem sunt scripturæ Apostolorum aut Prophetarum, de quibus dictum est, Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis, & iterum de Ecclesia dicit, Fundamenta eius in montibus sanctis. Et quare jubet in hoc tempore omnes Christianos conferre se ad scripturas? Quia in tempore hoc ex quo obtinuit hæresis Ecclesias nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neq; refugium potest esse Christianorum aliud volentium cognoscere fidei veritatem nisi scripturæ divinæ. —— Omnia hæc quæ sunt propria Christi in veritate habent & hæreses in scismate, similiter Ecclesias, similiter Scripturas Diuinas, similiter Episcopos, cæteroſq; ordines Clericorum, similiter Baptismum, Eucharistiam, cæteraq; omnia, deniq; ipsum Christum. Volens ergo cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat in tantæ confusione multitudinis nisi tantummodo per scripturas —— Signorum etiam operatione nunc omnino leuata, magis apud eos invenitur qui falsi sunt Christiani fieri ficta —— Adhuc autem & major continentia apud illos invenitur, quamvis in scismate sint quàm apud Christianos. Qui ergo vult cognoscere que sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat nisi tantummodo per scripturas? Sciens ergo Dominus tantam confusionem rerum in nouissimis diebus esse futuram, ideo mandat, vt Christiani volentes firmitatem accipere veræ fidei, ad nullam rem fugiant nisi ad scripturas. Alioqui si ad alia respexerint

erint ſcandalizabuntur & peribunt non intelligentes quæ ſit vera Eccleſia,& per hoc incident in abominationem deſolationis quæ ſtat in Sanctis Eccleſiæ locis. Sic ille, & ſimiliter *Cyprianus*, niſi quod vt ille ad montes, ita hic ad fontes Scripturarum nos jubeat tranſire. Vt in aliquo ſi nutauerit inquit & vacillauerit veritas,ad originem dominicam & Euangelicam & Apoſtolicam traditionem reuertamur, & inde ſurgat actus noſtri ratio vnde & ordo & origo ſurrexit—Non eſt de conſuetudine præſcribendum ſed ratione vincendum: Nam nec *Petrus* quem primùm Dominus elegit & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cùm *Paulus* poſtmodum de circumciſione diſceptaret ſe vindicauit ſeu aliquid inſolenter aut arroganter aſſumpſit vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à novellis & poſteris ſibi potiùs oportere ------ Neq; quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit,aut Tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adegit. Poſt hos,quibus multa aliàs ſunt addenda, cognoſcite & *Lactantium*, ſicut illos de ſcripturis, non minus vtiliter de altero ſacro rationis refugio egregiè dictantem. Quare oportet inquit in eâ re maximè in quâ vitæ ratio verſatur ſibi quemq; confidere ſuoq; judicio ac proprijs ſenſibus niti ad inveſtigandam & perpendendam veritatem, quàm credentem alienis erroribus decipi tanquam ipſum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione ſapientiam, vt & inaudita inveſtigare poſſent & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus anteceſſerunt ſapientia quoq; anteceſſerunt, Quæ ſi omnibus æqualiter datur,occupari ab antecedentibus non poteſt. Illi-

babilis est tanquam lux & claritas solis, quia vt sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cùm sapere id est veritatem quærere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt qui sine vllo judicio inventa Majorum probant, & ab alijs pecudum more ducuntur. Quomodo isti qui falsa invenerant posteris tradiderunt, sic nos qui verum invenimus posteris meliora tradamus. Sic ille adversus *Gentilium* superstitionem, quæ in hodierna *Romana* conjuratione neq; minor est nec absimilis. Munite ergo animos vestros scripturis, ratione, adversus vtramq; & quoscunq; alios tenebriones propter vile lucellum caliginem veritati offundentes. Cavete præscripta ex mandatis hominum, cavete ἐθελοθρησκείας, ἀθελοπενιθρησκείας, ταπεινοφροσύνας, ἀφειδίας, fictam in voluntario cultu sapientiam, superstitionem humilitatis, vexationes, imparsimonias Corporum vestrorum, quibus olim sacerdotes *Sybelini* & hodie papemaniaci non Deum laudare sed lugere videantur. *Petri Pauliq;* vnà cohortationes miscentes, vt liberi ac non veluti malitiæ velamen habentes libertatem, in libertate qua Christus nos liberauit perstate, & nolite iterum jugo servitutis contineri. Atq; ego interea procedam ad secundam claram probationem, quod Ecclesia hæc servilis, superstitiosa, ceremoniosa *Romana* Ecclesia non sit illa suo robore subnixa Ecclesia Christi, quia omnes omnium ætatum & terrarum immanissimas nationes, sub prætextu religionis, cœdis & sanguinis horribili historia exuperaverit. In prima stelitcutica sua *Nazianzenus*. Ostendant inquit ad derisorem Christianæ religionis & patientiæ *Iulianum*, ostendant vestri, vbi aut quomodo justum sit nos à patientia.

tientia nostra nunquam deficere, cùm nullam vnquam misericordiam obtinuerimus grata vice vobis parcendi. Res gestas considerate. Circumvoluente & permutante inter nos fortuna regnandi tempora, quid simile vnquam vobis à Christianis contigit, qualia sæpenumero nos coacti à vestris pati, quâ libertate vos orbavimus, in quos populum immisimus sævientem, quis præfectus ausus proprio consilio vos affligere, quibus vitæ periculum ingessimus, immò potius, à præfecturis alijsq; honoribus quæ vitiis præstantissimis in mercedem debentur quos vestrum abegimus, & vt breuiter dicam, cui vnquam talia intulimus qualia vos multa contra nos aut ausi aut comminati estis? Verùm ne vos talia de nobis dicetis, qui nostram accusatis mansuetudinem & humanitatem. Eodem modo & nos ad Papismi assertores. Consideremus tempora illorum & nostra, in *Gallia, Germania, Anglia*: Si nos sortiti in ipsos potestatem, eâ ad vllam ipsorum crudelitatis similitudinem fuerimus abusi, cedat nobis mansuetudo primitivæ Ecclesiæ in condemnationem; regerant & verba Christi *Lucæ.9.* ad *Iacobum* & *Iohannem* ignem de cœlo vouentes in vicum *Samaritanorum*, Nescitis cujus spiritus vos estis, filius hominis non venit vt perderet animas hominum sed vt seruaret; reponant & aliam tam nobis quàm ipsis consideratione dignam ex suo *Gratiano* sententiam, Noua atq; inaudita est ista prædicatio quæ verberibus exigit fidem. Tantum vlla religio malorum potuit suadere vt liberum esset Christianis esse homicidas, perfidos, traditores? Contra notos, vicinos, amicos, consanguineos omni feritatis genere sævire? Contra viuos, contra mortuos, ipsorum vitam,

memoriam, vmbras, ſepulchra, cineres, igne, ferro, infamatorijs libellis, maledictis proſcriptionibus à cœlo & terra, exhumationibus cadauerum, oſſium & monumentorum incendijs? Vt ſolo religionis prærextu tota oppida, vrbes, gentes excinderentur? Pauca hîc ex infinitis *Romanæ* Eccleſiæ tragicis hiſtorijs neceſſario ſunt memoriæ veſtræ ſuggerenda. Quid enim? Cum eas tot tantaſq; in perniciem, proteſtantium animo revoluam, proteſtantium, qui ſe ab eorum jugo ad ſcripturarum & rationis normam contulerint, non poſſum non clarè mihi perſuadere, quin noſtrates Eccleſiæ, illius genuina ſint membra adverſus quam in Chriſti ſcripturis & ſimplici ſincera confeſſione fundatam neq; ipſæ inferorum portæ poterunt prævalere. Sicut oſtenſum eſt in antiquiſſimo codice MS°. Bibliothecæ *Cottonianæ*, indigenæ hujus inſulæ aliunde Canonem Chriſtianitatis ſuæ acceperunt quàm à *Romanis*, ſcilicet à ſucceſſoribus ſi bene memini Sancti *Iohannis* Evangeliſtæ qui naſcentem tyrannidem papicolarum inviſam habuerunt. Mittit ergo huc *Gregorius* nomine Magnus *Auguſtinum* ſuum monachum *Benedictinum* ad ipſorum hoſtes advenas Reges *Saxonum*, Reges barbatos & incultos, quibus facilè erat fictis rerum oſtentis imponere, qui vt de ſeipſo *Lotharius*, chartas donationum figura crucis ſignabant quia ignorabant literarum characteres. Hos ita ille cùm ſubegerat, & in *Britannos* concitauit, eoſq; adeo deleuit, vt hodie Antiquariorum ſumma vix valeat eruditio *Britanniam* in *Britannia* reperire, in fluminum, vrbium, oppidorum, ſylvarum, ratiſſimis monumentis, non aliam ſi annales ſcrutemur ob cauſam, quàm quod ritus moreſq; *Romanæ* Eccleſiæ

nollent

nollent sequi, illiusq; legatum pro Archiepiscopo agnoscere. *Britanni, Scoti, Hibernenses*, ejusdem fidei adversus eandem *Romanam* crudelissimam conversionem vsq; ad sanguinem tàm diu contendentes, si memores essent parentum suorum lanienæ, nollent proculdubio vel pietatis intuitu, non leni *Romanorum* jugo hodierno die colla sua submittere. Hæc adolescentia quædam est *Romanæ* sævitiæ, postquam verò per barbariem horum *Saxonum* similiter & *Longobardorum* effætis jam viribus Orientalis imperij, & mutuo auxilio Principum in vasorum hæreditatis regni *Galliarum* in virilem ætatem creuerat, augebat etiam se supra modum cruenta rabies in gregem Christi. Initia furoris ipsorum in *Albigenses* sub nomine *Catharorum* & *Manichæorum* vidit inter ipsos vir bonus *Petrus Cantor* & cum gemitu sic orbi retulit. Infideles olim inquit Christiano non convicto vel confesso dabant inducias. 30. dierum, vt secum deliberaret an Idolis sacrificare vellet, à convicto autem vel confesso & nomen Christi negante nihil amplius quàm vt sacrificaret idolis exigebatur. Quomodo igitur Ecclesia hominem peregrino judicio examinare præsumit, sc. candentis ferri contactu & demersione in aquam, & quomodo legitimæ inducíæ *Catharis* secum deliberandi non dantur, sed statim comburuntur? Immò & quædam matronæ honestæ nolentes consentire libidini Sacerdotum de semine *Chanaæ* genitorum, ab eis in libro mortis scriptæ sunt, & accusatæ vt *Catharæ*, & damnatæ etiam à quodam potente & stulto zelatore fidei Christianæ. Loculis divitum *Catharorum* emunctis & abire permissorum, vnicus quia pauper & pallidus, fidem Christi in omnibus fideliter confitens, & in

specie

ſpecie prætendens combuſtus eſt, eo quod, Epiſcopis congregatis diceret, quòd nequaquam judicium ferri candentis ſubiret, niſi ei priùs per eos conſtaret, quod ſine mortali peccato & temptatione Domini hoc fieri poſſit. Qui audientes hoc verbum vnà omnes eum reliquerunt, dicentes Regi, ſibi non licere intereſſe judicio ſanguinis——Recludendi eſſent hi populi non occidendi——Item cùm calumnia in hoc judicio manet impunita, paſſim & temerariè proſilitur in accuſationem cujuſq;. Sic *Cantor*, cujus narratio ſi vobis placuerit, adijci forſan non inutiliter poterit hiſtoriæ quam de his *Albigenſibus* ſiue *Waldenſibus* alijſq; eorum ſimilibus nunquã ſatis laudata opera edidit clariſſimus præſul *Iacobus Ardmachanus*. Sed & aliam de eiſdem per millenos occiſis non tàm vulgo notam hiſtoriam accipite priuſquam in hâc parte deſiſtam ex libro *Caſarij Hiſterbachſenſis, Ciſtercienſis* monachi, de ijs quæ ætate ſua memoratu digna contigerunt. An: inquit Dom. M. C. C. X. prædicata eſt contra *Albigenſes* in totâ *Alemannia* & *Francia* crux & aſcenderunt contra eos anno ſequenti de *Alemannia Lupoldus* Dux *Auſtriæ, Adolphus* Comes de *Monte, Willhelmus Comes Iuliacenſis*, & alij multi diverſæ condicionis atq; dignitatis. Simile actum eſt in *Francia, Normannia*, atq; *Pictauia*. Horum omnium prædicator & caput erat *Arnoldus* Abbas *Ciſtercienſis* poſtea Archiepiſcopus *Narbonenſis*. Venientes ad civitatem magnam quæ *Biders* vocatur, in qua plus quàm centum millia hominum fuiſſe dicebantur, obſiderunt illam——Quidam ergo ſatellites——, ſcalis appoſitis muros intrepidè aſcenderunt——ſequentibuſq; portas aperientes civitatem obtinuerunt.

Cognoſ-

Cognoſcenteſq; ex confeſſionibus illorum Catholicos cum hæreticis eſſe permixtos dixerunt Abbati, quid faciemus Domine? Non poſſumus diſcernere inter bonos viros & malos ------ Timens ergo Abbas ne tantum timore mortis ſe Catholicos ſimularent iterumq; ad perfidiam redirent, fertur dixiſſe, cædite eos, nouit Dominus enim qui ſunt eius, ſicq; innumerabiles occiſi ſunt in ciuitate illa, ita *Cæſarius*. Hæccine autem reſponſio Abbatis decuit Chriſtianum hominem, vt ipſi videri volunt, propiùs Chriſti & Apoſtolorum veſtigijs inſiſtentem? Mitto ex eiſdem numerum CXIIII. ſimul cum *Michaeli* generali Minorum combuſtorum *Pariſijs* An. Dom. M. CCC. IIII. Mitto infinita huius generis vndiq; cruore madentia, mitto ſanguinarium *Dominicum* propter innocentiſſimorum horum *Albigenſium* diram perſequtionem nomine ſanctitatis in rubrica Calendarij honoratum. Quid memorem recentiores ignes & cœdes *Wickleviſtarum* noſtratium, *Lutheranorum*, *Calviniſtarum*, tempora *Mariana*, ſtrages *Merindolianas*, in *Thuano*, *Poplinerio*, tàm miſeranti calamo deſcriptas, carnificinam *Pariſiacam* ab eiſdem defletam, quæ colorem ſanguinis omnibus prope *Gallorum* fluminibus indidit. Quæ vt certiſſimè facta intelligeretur conſilio & approbatione Pij. V. & ſucceſſoris ſui *Gregorij*. XIII. ille eam in palatio ſuo *Romæ* depingendam curauit, vt ſaltem oculos paſceret crudeli ſpectaculo, nummumq; cudit argenteum, in quo ex vna parte propriam ipſius figuram claudebant hæc verba. *Gregorius*. XIII. *Pontifex*. *Max*. A. I. eratq; in reverſa monſtrante gladium exertum mixta virorum & fæminarum denſantem funera hæc inſcriptio. *Vgonotorum ſtrages*.

An. Dom. M. D. LXXII°. strages equidem Christianissimorum protestantium nobis etiam ob detestationem *Romani Antichristi* semper memoranda, in qua breui spatio ceciderunt supra viginti mille hominum, licèt horrendo exclamauerit præses Parliamenti *Parisiensis Christophorus Thuanus* verbis *Statij* poetæ ad minora attoniti.

Excidat illa dies ævo, ne postera credant
Sæcula, nos certè taceamus & obruta multâ
Nube tegi propria patiamur crimina gentis.

Crudeles sacrificuli ita vndiq; concitarunt animos populorum aduersus protestantes, vt in *Hispania*, sicut rem gestam recitat *Alfonsus Vlloa* in vita *Caroli*. V. etiam nobiles fœminæ, quarum mitissima esse deberent pectora ad protestantium condemnationem tanquam ad quoddam genus solatij festinarent. At quid perpetrâstis infælices Christiani? Quare hæ cædes, hæc solamina, hi triumphi? An Christus iterum per vos in crucem sublatus? An cum *Iudæis* Christum nondum venisse Blasphematis? An cum *Turcis* conjungitis Christo *Machometem*? An vt de veteribus Christianis dictum est, estis sceleratissimi de Sacramento infanticidij & pabulo Iudæ & post conviuium incesto? An eversores luminum canes lenones &c, tenebrarum & libidinum impiarum inverecundiam procurent? An somniârunt adversarij vestri vt illorum, caput asininum esse Deum vestrum? An non vnum omnino Deum esse creditis nec alium præter mundi creatorem, qui vniuersa de nihilo produxerit per verbum suum primò omnium emissum, id verbum filius ejus appellatum, in nomine Dei variè visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremò delatum

ex

ex ſpiritu patris Dei & virtute in Virginem *Mariam*, carnem factum in vtero ejus, & ex ea natum egiſſe *Ieſum Chriſtum*, exinde prædicaſſe novam legem & novam promiſſionem regni cœlorum, virtutes feciſſe, fixum cruci tertiâ die reſurrexiſſe, in cœlos ereptum ſedere ad dexteram patris, miſiſſe vicariam vim Spiritus Sancti qui credentes agat, venturum cum claritate ad ſumendos Sanctos in vitæ æternæ & promiſſorum cœleſtium fructum, & ad prophanos judicandos igni perpetuo, factâ vtriuſq; partis reſuſcitatione cum carnis reſtitutione. Hæc regula fidei eſt apud *Tertullianum* de præſcriptionibus hæreticorum, & hâc regula in ordine & forma ſua manente, quantum libet quæras inquit ille & tractes, & omnem libidinem curioſitatis effundas, ſi quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari. Hoc quidem vos feciſſe neq; ipſi diffitemini, acriter autẽ omnia ſeuera trutina expendentes, tenebricoſas papiſtarum doctrinas non inveniſtis in ſcripturis, non imagines, non artolatriam, non Purgatorium, non preces pro mortuis, non preces ad mortuos, non inceſtum eorum cœlibatum, non claues Deum ligantes, non infallibilem veritatem aut omnipotentiam Papæ cujuſquam Cathedralitij. Hinc equidem lachrymæ, hinc clamores, hinc bella & cædes vobis intentatæ vt prius Sancto *Paulo*, quia falſam *Gentilium* ſuperſtitionem ſubuertendo etiam operariorum quæſtum vnà ſuſtulerit. Propterea pleni excandeſcentia rabidè clamant & furioſè, *Magna Diana Epheſiorum, magna Diua Lauretana, myſterium Romæ magnum quod Europa tota & orbis terrarum colit*. Certè, quod mihi in animo ſæpè obverſatur, ſæpe eſt dicendum, dùm

dùm ita clarè perſpiciam Eccleſias noſtras reformatas, tot procellis & furoribus *Romanorum* concuſſas nec dum deletas, non poſſum non confidere Petram ex nobis eſſe & apud illos portas inferorum. Non longiùs vos detinebo in hâc parte. Vidit Sanctus *Iohannes* Evangeliſta mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam plenam nominibus blaſphemiæ. Ibi eximius veritatis noſtræ aſſertor, maximus & Poeta & theologus *Theodorus Beza*. Nec temerè inquit factum eſt, vt hic potiſſimum color *Romanæ* Curiæ placuerit, quâ de re non pigebit etiam noſtrum quoddam Epigramma ſubnectere.

Semiviros quicunq; patres radiante galero
Conſpicis & rubræ ſyrmata longa togæ,
Crede mihi nullo ſaturatas murice veſtes,
Divite nec cocco pallia tincta vides.
Sed quæ rubra vides, ſanctorum cæde virorum
Et merſa inſonti tota cruore madent.
Aut memor illorum quæ celet crimina veſtis
Pro dominis iuſto tacta pudore rubet,

Atq; hactenus dictum ſit de crudelitate *Romana*. *Roma* ergo in infinitum ſuperſtitioſa, *Roma* crudeliſſima, fideliter hæc Eccleſia Chriſti non eſt tertiò, quia ſe pro Catholica vnicè jam diu & oſtentauerit, & quaſi ex articulo fidei agnoſcendam orbi Chriſtiano imperioſè juſſerit. Titulus Oecumenici, Catholici, Vniuerſalis, quæ idem vt plurimùm denotant, quid ſignificent *Gregorio* magno clarum eſt ex Epiſtolis. Adverſus *Iohannem Conſtantinopolitanum* reſpectu jmperialis ſedis non fidei affectantem eum honorem ſic ille ad *Mauritium* Imperatorem. Quis eſt iſte qui contra ſtatuta

Evan-

Evangelica, contra Canonum decreta, novum sibi vsurpare nomen præsumit? ——— Sed absit à Christianis cordibus nomen istud blasphemiæ in quo omnium sacerdotum honor adimitur ——— certè pro B. *Petri* Apostolorum Principis honore per venerandam *Chalcedonensem* synodum *Romano* Pontifici oblatum est. sed nullus eorum vnquam hoc singularitatis vocabulo vti consensit ——— Rex superbiæ prope est, & quod dici nefas est, sacerdotum ei præparatur exercitus ——— Si vnus Episcopus vocatur Vniuersalis, vniuersa Ecclesia corruit si vnus vniuersus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc leuitas ab auribus meis. Misceo hîc varia ex ejus Epistolis sparsim effusa. Vniuersalis Episcopi & Oecumenici vocat superstitiosum & superbum vocabulum, superbum & profanum & stultum, vocabulum superbum & pestiferum, perversum nomen & appellationem frivolam. *Gregorium* ego magnum nusquam tanti æstimo vel eruditionis vel pietatis nomine, vt vellem authoritate ejus vti aduersus alios quàm suos. Qui enim in *Cyriaci* Archiepiscopi *Constantinopolitani* pro vniuersalitate contra *Romanos* dimicantis consecratione illam vocem reprehendit vniuersi populi acclamantis, Hæc dies est quam fecit Dominus, quali deinde supereminenti adulatione ille vtitur abblandiendo perditissimo proditori phocæ, cùm Domino sublato *Augustus* fieret. Gloria inquit in excelsis Deo, & lætentur cœli & exultet terra. At quid tanti bone Pater vt sic voces suas contollerent elementa, novusne apparuit mundo redemptor? Sc. coronatus est *Phocas* & *Leontia Augusta* septimo in palatio quod dicitur *Secundianas*, & occisus est *Mauritius* Imperator cum omnibus suis fi-

lijs masculis & procerum non paucis, venit autem icona suprascriptorum *Phocæ* & *Leontiæ Augustorum Romam* septimo Kalend. Maij, & acclamatum est eis in *Lateranis* in basilica *Iulij* ab omni clero & senatu, Exaudi Christe, *Phocæ Augusto* & *Leontiæ Augustæ* vita. Causâ ordinis & politicæ gubernationis sub *Mauritio* Imperatore Episcopi *Constantinopolitani* enixè contendebant vt primatus ipsis esset in omnes imperij Ecclesias, in quâ lite cùm ille Imperator ipsis faueret, de occiso gaudent *Romani* atq; blasphemias effundunt vt audistis in congratulatione homicidæ successoris. *Phocas* enim etsi reuera qualis *Codino* visus, ὁ τύραννος, αἱμοβόρος, δυσσεβής, & *Mauritius*, ὁ εὐσεβέστατος μισοπόνηρος, etsi vir Catholicus & in bello potens, vt qui *Persas* & *Armenios* debellauerat, tamen in fine ut ait *Ranulphus Cestrensis* à *Gregorio* hoc discordabat in tantum quòd ei plurimum detraheret & mortem intentaret, vnde *Romæ* tunc aparuit vir quidam monastico indutus habitu euaginatum tenens gladium per ciuitatem clamando, isto modo *Mauritius* extinguetur. Anno autem imperij *Phocæ* 2. ait *Gotfridus Viterbiensis*, beatissimus sc. Papa *Gregorius* migrauit ad Dominum, tunc tertius *Bonifacius* impetrauit à *Phoca* vt ipsius authoritate *Romana* Ecclesia caput omnium Ecclesiarum diceretur; nàm *Constantinopolitana* Ecclesia se primam, puto propter regni sedem illic translatam inscribebat. Hæc vndiq; contestata origo Catholicismi *Romani*. Ex sanguine tyrannis illa nata semper sanguinem sitiuit, donec aliquando Deo vindice secundum veteres prophetias in ore gladij cruentati dissoluatur; clamant enim in *Apocalypsi* sub altari animæ eorum qui mactati fuerunt propter verbum

Dei,

Dei, & propter teſtimonium quod tuebantur, clamant voce magna dicentes, Vſq; quò Domine qui ſanctus es & verax non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de ijs qui habitant in terra. Quis numeret tumultus, cædes, & horrendas concuſſiones Orbis Chriſtiani, quas iſte Catholiciſmus *Romanus* concitauerit. Primùm velitatus eſt cum Epiſcopis, & illis ſurripuit nomina, Papæ, Cardinalis, & cætera, quæ ante in omnibus Eccleſijs pro authoritate & ordinibus ſacerdotij erant communia, Deinde ipſa Regum & Imperatorum diademata calcauit, & vtrumq; gladium quo jure quaq; injuria ſuum eſſe voluerunt.

——— *exeat aula*
Qui volet eſſe pius virtus & ſumma poteſtas
Non coeunt. ———

Vox hæc clariſſimi poetæ ſi vſquam vera eſt, eſt certè in prærogatiuante *Romanæ* Eccleſiæ curiâ fuitq; ſemper veriſſima, quæ quantum in ſe eſt tentauit, populos, Principes, ipſumq; Chriſtum authoritate ſua & gloria ſpoliare. Eccleſia enim Catholica non cujuſquam eſt hominis propria, non nationis, ſed Chriſti ſolius. Nullus inquit *Paulus* ad *Coloſſenſes*, nullus voluntarius moderator de vobis ſtatuat ex ſubjectione & cultu Angelorum, ſeſe ingerens in ea quæ non vidit & temerè turgens carnis ſuæ ſenſu, neq; obtinens caput ex quo totum corpus per commiſſuras & compages ſuppeditatum & compactum augeſcit Dei augmento ——— Ne quis vobis imponat probabilitate ſermonis ——— ſicut accepiſtis Chriſtum Ieſum Dominum ita in eo incedite radicati & ſuperſtructi in eo ac confirmati fide ſicut edocti eſtis, abundantes eâ cum

grati-

gratiarum actione videte ne quis sit qui vos depræde-
tur per philosophiam & inanem deceptionem secun-
dum traditionem hominum, secundum elementa mun-
di & non secundum Christum. Nàm in eo inhabitat
omnis plenitudo Deitatis corporaliter, & estis in eo
completi qui est caput omnis imperij ac potestatis.
Corpus Christi est Ecclesia, & ipse est ante omnes, &
omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Eccle-
siæ qui est principium primogenitus ex mortuis, vt sit
in omnibus ipse primatum tenens. Quod in textu *Ma-
thæus* Petram, *Paulus* fundamentum vocat, dicens, fun-
damentum aliud nemo ponere potest præter id quod
positum est, quod est *Christus Iesus*. Iterumq; ergo jam
inquit, non estis hospites & advenæ, sed estis ciues
sanctorum & domestici Dei, superædificati super funda-
mentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo
angulari lapide Iesu Chrsto. Ergo ne multis vos morer,
Qui in confessione Petri est, quòd Christus sit filius
Dei viuentis, non est ille quo verbo vtitur *Ancyrana*
synodus secundum interpretationem *Balsamonis*, inter
χειμάζοντας, hybernantes extra portum & stationem sa-
lutis. Ille in Petra est, ille *Petrus* est, ille membrum est
Ecclesiæ quam ædificauit Christus vsq; ad finem mun-
di duraturæ, Ecclesiæ non huius non illius, loci, modi,
aut personæ, quod in vltimis temporibus ipse Christus
cavendum monuit dicens. Tunc si quis dixerit vobis
Ecce hic Christus aut hic ne credite, de qua itidem dix-
it Christus *Iohannis* 4. venit hora quando neque in
monte hoc *Samariæ*, neq; in *Hierosolymis* adorabitis
patrem, venit hora & nunc est, quando veri adoratores
adorabant patrem in Spiritu & veritate, nàm & Pater

tales

tales quærit qui adorent eum, ſed Eccleſiæ ſub eius confeſſione toto orbe diſpergendæ, ſed Eccleſiæ Chriſtianæ Catholicæ, quam ad diſtinctionem Eccleſiæ *Iudaica* ſic in ſymbolo Apoſtolorum appellatam clariſſimè omnium ex catecheſi ſua nobis explicabit *Cyrillus Hieroſolymitanus*, vbi prius eandem per compendium ſententiam dictauerit ex lexico Iuris Ciuilis vir doctiſſimus *Iacobus Spiegelius*. Fides Catholica inquit, hæc eſt pietas ſiue religio noſtra, quæ ideo Catholica nominatur, quòd non certo alicui populo tradita eſt vt *Iudaica*, ſed toti generi humano, nec vllum excludit. Omnibus per hanc ſalvos eſſe licet, & ſine hâc nulli. Alij enim dij & alio modo apud *Romanos* colebantur quàm *Græcos*, alij apud hos quàm apud *Gallos*, *Hiſpanos*, *Scythas*, *Indos*, *Perſas*. Omnes gentes quæ Chriſtum profeſſæ ſunt, eundem colunt Deum & eodem ſacrificij genere, & vt *Spiegelio* pauca adjungam, de populari, nationali, municipali religione gentium, veriſſima eſt cenſura *Libanij* cùm dicat, ἡ μὲν λόγῳ τοῖς πολεμίοις τῶν θεῶν τοῖς ἐναντίοις ἔθεσι At Chriſtiana religio, quæ in natura in ratione ſita eſt præcipuè, ejuſmodi erat, quam Catholicè omnes ſubire erat facile & vtile omni humano generi; vt verbis vtar Apoſtoli, pietas erat ad omnia vtilis, promiſſionem habens vitæ præſentis ac futuræ. In religione illâ topicâ, neq; in ipſis ſepulchris ſibi poſt fata bene eſſe putabant *Iudæi*, vt ex Thisbite *Eliæ Germani* liceat cognoſcere, niſi per volutationem ſubterraneam ad terram ſanctam, & vt in priore *Libanio* Rhetore, non infima videbatur exilij calamitas gentibus, quòd ibi non dij patrij ſed Genij peregrini & errantes eſſent ſine fidu-

cia ìnuocandi. At in religione Christiana vbiq; ad coelum tantundem est viæ, vnde *Paulus* ad *Timotheum*: Ego prædicator & Apostolus, doctor gentium in fide & veritate volo viros orare in omni loco leuantes puras manus sine ira & disceptatione; *Petrusq;* ad *Cornelium* Actor. 10. In veritate comperio Deum non accipere personam, sed in quauis gente acceptum esse ei quemuis qui eum timeat & operetur justitiam. *Cyrillus* ergo in hunc modum, & in vnam sanctam Catholicam Ecclesiam, de qua multa dici potuissent, sed paucis ea comprehendemus. Catholica igitur vocatur, quia per vniversum sit orbem terrarum diffusa, & à finibus terræ vsq; ad extrema——— Antea cecinit Psalmus in Ecclesiis, Benedicite Dominum Deum de fontibus *Israel*; Posteaquam autem propter factas Saluatori insidias *Iudæi* gratiâ exciderunt, alteram ordinauit Saluator nostram sanctam ecclesiam Christianam, de quâ dixit *Petro*, Tu es *Petrus*, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non præualebunt ei. ——— Typum autem habet & imitationem supernæ *Hierusalem* quæ libera est & mater omnium nostrûm; quæ antea quidem sterilis, nunc autem multorum est liberorũ parens. Illâ enim extinctâ, in hâc altera Catholica Ecclesia vt *Paulus* dicit, Deus posuit primùm quidem Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, postea virtutes, tùm gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, & omne genus totius virtutis, sapientiam dico & intellectum, temperantiam & humanitatem, & in persecutionibus patientiam insuperabilem; quæ per arma justitiæ prospera & aduersa.

sa, per gloriam & ignominiam, primùm quidem in persecutionibus & tribulationibus martyres sanctos diversis coronis patientiæ & multùm florentibus coronauit, quibus & ipsa Ecclesia ornata est; nunc vero temporibus pacis, gratiâ Christi debitum habet honorem à Regibus omnibus in potestate constitutis, omniq; deniq; genere & condicione hominum. Regum quidem potestas certis locis & gentibus terminos habet. Ecclesiæ autem Catholicæ per vniuersum orbem indefinita est potentia, in quâ edocti & conversantes bene regnum cœlorum & vitam æternam possidebimus. Ita *Cyrillus*, in cujus *Catholicæ* charactere non pauca omisi, cùm Catholicam seciùs & dici velit, quia docet Catholicè, hoc est vniuersaliter, & sine vllo defectu vel differentia, omnia dogmata quæ deberent venire in cognitionem de rebus visibilibus & invisibilibus, cœlestibus & terrestribus, & quia omne genus hominum piè subjugat, Principes & priuatos, & quia in vniuersum curat omne genus peccatorum, & quæ per animam & quæ per corpus patrantur, habeturq; in illa omne genus quocunq; nomine vocetur virtutis, in factis & dictis, & spiritualibus charismatibus omnigenis. Hæc, inquam, ego consultò omisi, quia in his catholicissimis, si pauciſſimos selectos homines temporum Apostolicorum exceperimus, & *Roma* antiqua, & *Athenæ*, aliæq; liberæ respublicæ, longè omnes vbicunq; Christianorum politeias exvperauerint, De doctrinante autem Catholicismo persuasio, contentionis & ostentationis materiam præbeat hæreticorum peruersitati, vt *Rogatianis* olim apud Sanctũ *Augustinum*, epistola. 48. Ad quos ille, sed nem-

pe hoc est totum quod nobis persuadere conaris, solos remansisse *Rogatistas* qui Catholici rectè appellandi sunt ex obseruatione præceptorum omnium Diuinorum atq; omnium sacramentorum, & vos solos esse in quibus inueniat fidem cùm venerit filius hominis. Da veniam non credimus——— καθολικὴ Græcè appellatur ait idem *Augustinus*. Ep. 170. quòd per totum terrarum orbem diffunditur. Membra quidem Catholicæ Ecclesiæ, *Romanam* veterem præsentemq;, *Hyerosolymitanam*, *Alexandrinam*, *Ephesinam*, *Antiochenam*, cæteraſq; & ego libenter audio; sed aut has omnes aut singulatim earum quampiã in symbolum fidei nostræ pro Catholicis recipi, licet crebrò videatur hoc dici ab antiquis & præcipue in typhũ *Romanæ*, non magis estimandum censeo quàm quòd in alijs communiter nolint ijdem ferre auribus vt Christiani vllo modo dicerentur synagoga aut *Iudæi* Ecclesia. Aliquando quidem *Hieronymus* ad Papam *Damasum* qui per cedem & sanguinem obtinuit sacerdotij fastigium abblandiendo dixit. Ego nullum primum nisi Christum sequens Beatitudinem tuæ. i. e. Cathedræ *Petri* communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc domum agnum comederit prophanus est. ———Qui tecum non colligit spargit.———Quoniam vetusto Oriens inter se populorum fauore collisus indiscissam Domini tunicam & desuper textam minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam vulpes exterminant, vt inter lacus contritos qui aquam non habent, difficile vbi fons signatus & hortus ille conclusus sit possit intelligi, ideo mihi Cathedram *Petri* & fidem

dem

dem Apoſtolico ore laudatam conſului. Hæc quidem verba ſunt glorioſa & blanda *B. Hieronymi* de illa *Romana* Eccleſia, quæ eo tempore minus laborauit hæreſibus, At cum ventum eſſet ad verum, ſuamq; *Romani* authoritatem vellent ſuperbè orbi obtrudere, in Epiſtola ad *Euagrium*, & ſibi antidotum & ipſis caſtigationem exhibentem ibi invenietis in hunc modum. Nec altera *Romanæ* vrbis Eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt. Et *Galliæ*, & *Britanniæ*, & *Africa*, & *Perſis*, & *Oriens*, & *India*, & omnes *Barbaræ* nationes vnum Chriſtum adorant: vnam obſervant regulam veritatis. Si authoritas quæritur, orbis maior eſt vrbe. Vbicunq; fuerit Epiſcopus, ſiue *Romæ*, ſiue *Eugubij*, ſiue *Conſtantinopoli*, ſiue *Rhegij*, ſiue *Alexandriæ*, ſiue *Tanis*: ejuſdem meriti, ejuſdem eſt & ſacerdotij. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt: Non hîc moram oporteret nectere, cùm longè præſtantiora ad huc reſtent dicenda de miraculo conſervationis fidei Chriſtianæ. Verùm varia hominum judicia cognoſcite. Iudice *Eraſmo*, antidoto hîc opus habet *Hieronymus*, quòd æquaverit Epiſcopũ *Eugubienſem* cum *Romano*. Verùm *Waldenſis* in doctrinali fidei. *lib. 2. art. 3. cap. 41.* etiam planè fronte adverſa pugnantem expoſitionem comminiſci non erubuit. Intellige hîc inquit, quòd vna *Romana* ſedes duplici authoritate coruſcat, Epiſcopali ſcilicet illius loci, & Papali in orbe. Sed dum auctoritas quæritur, ſicut orbis major eſt vrbe, ita deniq; major eſt auctoritas Pontificis orbis quàm ejuſdem pontificis vrbis

in eadem ſede, & inde eſt, quòd vbicunq; Papa ſedeat, ſiue *Romæ* ſiue *Eugubij*, ibi noſter fulget Antiſtes. Non habet neceſſe noſter præſul vt in *Romana* ſede mendicet authoritatem ſed vendicet. In his delirijs Catholizantium *Romanorum* recenſendis ſi pergerem, nulla dies orationi ſufficeret. Magis ergò caueamus nos omnes, cuiuſcunq; Eccleſiæ miniſterio qui nomina noſtra Chriſto dederimus, vt ſub hoc capite noſtro, inculpati quatenus humana patiatur infirmitas ambulemus ad ſpem vitæ æternæ, quam ob Catholicam Chriſtianam fidem, ſi mores non deerint, à Deo juſto judice ſumus accepturi. Caveamus defectionem & apoſtaſiam à fide Chriſti ad *Atheiſmum*, ad *Paganiſmum*, ad *Iudaiſmum*. Nec tamen quod velim ſeriò intelligi minùs veri Apoſtatæ ſunt, quorum tota vita pugnat cum Chriſto ac mundo ſervit, & à Baptiſmi profeſſione diſcrepat. A quâ apoſtaſiâ deterrimâ quis *Romam* hodiernam auſit excuſare? de qua olim goliardiſmo & reſonanti ſatyra, vernulæ dicacitatis Poeta.

Roma *caput mundi ſed nil capit mundum,*
Quod pendet à capite totum eſt immundum.

Cùm ampliùs vera in eos non fuerit *Iſidori Peluſiotæ* de Epiſcopis ſui temporis querimonia, quâ μεταπεπτωκέναι λοίπον τὸ ἀξίωμα inquit ἔδοξεν, ἀπὸ ἱερωσύνης εἰς τυραννίδα, ἀπὸ ταπεινοφροσύνης εἰς ὑπερηφανίαν, ἀπὸ νηστείας εἰς τρυφὴν, ἀπὸ οἰκονομίας εἰς δεσποτείαν, ἀπὸ ποιμενικῆς φιλοστοργίας εἰς τυραννικὴν αὐτονομίαν, εἰς οὐχ ἁπαίθυνον ἀρχὴν, εἰς αὐτοκρατορικὴν ἐξουσίαν· οὐ γὰρ ὡς οἰκόνομοι ἀξιοῦσι διοικεῖν, ἀλλ' ὡς δεσπόται σφετερίζεσθαι. Quando in his fieri apud ſe reformationem patiantur, ſi audierint tot

monita

monita *Erasmi*, glossamq; apud eum textus nostri, maxima pars Christiani Orbis propter reverentiam quam habuerunt *Romani* in primitiuâ Ecclesiâ, non invitò & cum humilitate ad eos accedemus, non ad *Romanum* pontificem tanquam ad Petram, quæ in nobis est & singulis per Christi confessionem, sed velut ad principem Christianæ fidei in ordinatione & gubernatione Ecclesiæ. At verò si ex ijs semper esse velint, vt verbis ejusdem *Erasmi* vtar, quibus nihil satis est nisi quod sit immodicum, pergant suo fato. Angli autem mei tot confessionibus ærumnosis, tot martyrijs hominum pientissimorum & illustrium ad simplicem Christianæ fidei cultum reformati, κύριοι τοῦ μηκέτι νοσεῖν γεγενημένοι, λόγων μὴ ἀκούετε μετὰ χρησμοὺς, μὴ ὦτα παραδίδοτε λόγοις ἀνθρώπων ἀκεκοώτες λογίων. Nec redire velitis ad eorum vomitum, donec saltem *Puenti*, famoso vtriusque monarchiæ *Hispanicæ* & *Romanæ* defensori claris argumentis probauerint, certius esse, *Petrum Romæ* fuisse quàm *Iacobum Galitiæ*: & *Puenti* adversus *Baronium* conjungite in hâc parte rationes *Ioachimi Vadiani* ex epitome trium terræ partium. Donec iterum probaverint & lucidè, *Petrum Romæ* fuisse Episcopum, donec & probauerint eadem luce, gloriosa Christi verba in Evangelio, dicta non confessioni *Petri* sed ipsi, sed ipsi & non alijs Apostolis, & si ipsi & alijs, eorum pariter vim & virtutem ex traduce etiam derivari ad omnes eorum successores, vt nos pariter cum eis ventura possimus prædicere, mortuos excitare, viuos verbali tantum anathemate in mortem adigere, sine studio loqui linguis, aliaque primorum temporum.

rum miracula denuò præstare Orbi, per quæ sine gladijs, cædibus, incendijs *Romanis*, valeamus Orbem jam diu per eorum ambitionem fractum in sciſmata, potenter revocare cum *Iudæis* ad vnionem Evangelij. Hoc si præstare non possunt, nos Scripturis, nos Christo ipsi per eas adhuc nobis voluntatem suam demonstranti vnicè adhærebimus, qui cum secundò advenerit, omnia dubia soluet, omnia solus in integrum restituet, sine *Romanis* impostoris, fictisque reliquiis & portentis, cum quibus frater quæstuarius *Cipolla* in *Iohannis Boccacij* novellis illudit simplicitati plebis rusticanæ, sine vnguiculis Cherubinorum, digito Spiritus Sancti, sine rostro Seraphini, sine costa vna de verbum caro factum, sine vlla particula radiorum stellæ quæ aparuit Magis in Oriente, sine ampulla sudoris Sancti *Michaelis* post duellum cum *Lucifero*, & sine lacinijs vestimentorum Sanctæ ipsorum fidei *Catholicæ*; semper tamen stupendam omni cum reverentia sumus habituri providentiam Divinam in conservatione & propagatione Ecclesiæ inter nos Christianæ, sicut eam nobis proponit admirabilis facundia beatissimi patris Sancti *Chrysostomi* hijs verbis. Prædicit inquit ille Christus, nonnulla longis post temporibus eventura——Quid igitur dicit? Orbe ferme toto in impietate detento prædixit, super Petram hanc ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Examina quid hoc sibi verbum velit, & videbis perspicuam ejus veritatem. Nam non hoc solùm mirum est, quod ædificauit eam per totum mundum, sed quia invictam, licet

licet tot bella insurgant. Hoc est enim quod portæ inferi non prævalebant adversus eam——— Vidisti prædictionis veritatem, vidisti eventus certitudinem ac robur, vidisti verba in operibus relucentia, & virtutem absque armis omnia facilè conficientem. Ne ideo quia paucis dicitur, ædificabo Ecclesiam, transcurras obiter, sed considera & cogita tecum quid sit in tàm breui tempore omnem sub sole terram tantis Ecclesiis impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos persuaderi vt patrias leges irritent, consuetudinem stabilitam & radicatam revellant, delubra, templa, & statuas & sacrificia & profana festa——— sicut fimum aliquem aboleant, & excitent sacraria Christi vbique gentium, in regione *Romanorum*, *Persarum*, *Scytharum*, *Maurorum*, *Indorum*, & vltrà orbem nostrum. Nam & *Britannicæ* insulæ extrà hoc mare sitæ, & quæ in ipso Oceano sunt virtutem verbi senserunt, *Chrysostomus* in demonstratione aduersus Gentiles, quòd Christus sit Deus, Similiter in oratione secunda aduersus *Iudæos*. An non testimonium cum rebus consentit, etiamsi mille modis ipse contendas in aduersum? Quot enim bella aduersus Ecclesiam concitata sunt, quot exercitus instructi, quot arma mota, quod non afflictionum & vindictæ genus excogitatum? Sartagines, catapeltæ, lebetes, fornaces, lacus & præcipitia, bestiarum dentes, maria & proscripsiones, aliaque innumera tormentorum genera, atque hæc non tantùm ab extraneis, verum etiam à nostris domesticis. Pernicioſius ciuile bellum omnia occupa-

rat, & in ipsis statim primordijs non modo ciues cum civibus, verumetiam cognati cum cognatis, domestici cum domesticis, amici cum amicis conflictabantur. Nihil tamen horum dissoluit Ecclesiam, ac ne inferiorem quidem reddidit——Hoc nimirùm superat omne miraculum. Ne quis autem dicere possit, quod nunc etiam Ecclesia ob pacem à Regibus præbitam constabilita sit, Quum esset minor, cùm videretur imbecillior, tunc illam sic oppugnari permisit, vti cognoscas etiam nunc non acceptum ferendum esse paci quam præstant Reges sed à potentia Dei profectisci. Dixi. Vos favete, vincat benevolentia vestra orationis excessum, aut cogitate, si tot antiqua de mirandâ Dei providentiâ in fundandâ Ecclesiâ Christianâ & restaurandâ domi reperta & lecta non esse possent desiderio. Ego sic *Spartam* meam in qua tot annos ocium literarium vt spero innocenter exercui ornare nunquam desistam.

* * *
* * *
* * *
*

9 N063

FINIS.